

ANSGARIUS DIRKS O.P., *De liturgiae dominicanae evolutione: (continuatio)*, in «Archivum Fratrum Praedicatorum» (ISSN 0391-7320), 57, (1987), pp. 25-30.

Url: <https://heyjoe.fbk.eu/index.php/afp>

Questo articolo è stato digitalizzato della Biblioteca Fondazione Bruno Kessler, in collaborazione con l'Institutum Historicum Ordinis Praedicatorum all'interno del portale [HeyJoe](#) - *History, Religion and Philosophy Journals Online Access*. HeyJoe è un progetto di digitalizzazione di riviste storiche, delle discipline filosofico-religiose e affini per le quali non esiste una versione elettronica.

This article was digitized by the Bruno Kessler Foundation Library in collaboration with the Institutum Historicum Ordinis Praedicatorum as part of the [HeyJoe](#) portal - *History, Religion, and Philosophy Journals Online Access*. HeyJoe is a project dedicated to digitizing historical journals in the fields of philosophy, religion, and related disciplines for which no electronic version exists.



Nota copyright

Tutto il materiale contenuto nel sito [HeyJoe](#), compreso il presente PDF, è rilasciato sotto licenza [Creative Commons](#) [Attribuzione-Non commerciale-Non opere derivate 4.0 Internazionale](#). Pertanto è possibile liberamente scaricare, stampare, fotocopiare e distribuire questo articolo e gli altri presenti nel sito, purché si attribuisca in maniera corretta la paternità dell'opera, non la si utilizzi per fini commerciali e non la si trasformi o modifichi.

Copyright notice

All materials on the [HeyJoe](#) website, including the present PDF file, are made available under a [Creative Commons](#) [Attribution-NonCommercial-NoDerivatives 4.0 International License](#). You are free to download, print, copy, and share this file and any other on this website, as long as you give appropriate credit. You may not use this material for commercial purposes. If you remix, transform, or build upon the material, you may not distribute the modified material.



DE LITURGIAE DOMINICANAE EVOLUTIONE *

(continuatio)

SCRIPSIT

† ANSGARIUS DIRKS OP

DE MISSALIS DOMINICANI EVOLUTIONE

Initio anni 1986 notitiam accepimus de missali dominicano praehumbertiano, quod asservatur Caroloruhae (*Badische Landesbibliothek*), sub signo St. Peter perg. 20¹, ita ut e tempore, quod ordinationem librorum liturgicorum ab Humberto de Romanis peractam praecedat nunc quattuor missalia cognovimus.

Agitur, ut nobis videtur, de aliquo missali pro missis sic dictis privatis. Hoc patet non solum ex eo quod lectiones in missa legendas praebet, sed ex hoc quoque quod maiorem partem omittit rubricarum, quae ad coetum seu conventum spectant. V.g. feria quinta in capite ieiunii, formularium missae tantum praebet, omnibus quae missam praecedunt — psalmis paenitentialibus cum absoluteione, benedictione et impositione cinerum — omissis. Pariter dominica in ramis palmarum, missam tantum exhibet. Feria VI in Parasceve, ad crucis adorationem quod attinet, haec legitur rubrica: « Completis orationibus... fiant ea quae ad crucis adorationem pertinent ».

Non autem omnia omittuntur quae ad ministros altaris vel ad conventum spectant. V.g. feria V in Cena Domini, ante missam legitur brevis rubrica, quae invenitur similiter in A

* Sigla quibus in hac nostra expositione utimur indicavimus in: AFP LII (1982), 74-75, et LV (1985), 45-46. Codex Caroloruhensis de quo infra agetur siglo K indicatur.

¹ Ex animo gratias habemus viro doctissimo J. van Nimwegen, qui animi mei attentionem in hunc codicem convertit et Doctore Felici Heinzer, supra nominatae bibliothecae insigni directori, qui mihi pelliculam (microfilm) providit utilesque notitias de hoc codice mecum communicavit.

et R: « Feria V in cena domini facienda est absolutio sicut in capite ieiunii, excepto quod ad septem psalmos non dicitur *gloria patri*. Facta igitur absolute: prior cum ministris in sacristiam revertitur ibique casula indutus et missa sollempniter incepta: cum processione ad altare ingreditur ». Pariter, feria VI in Parasceve, omissis quae ad totius psalterii recitationem et altaris praeparationem pertinent, haec datur rubrica: « Dum nona cantatur, prior et ministri induunt se ad officium. Finita nona legitur sine titulo ab aliquo fratre a cantore premonito lectio *In tribulatione...* ».

Quod hoc missale missam privatim celebranti usui fuit ex his quoque rubricis colligitur, quae leguntur feria quarta in capite ieiunii:

ante collectam: « *Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. ipse ibidem dicit Levate* » (f. 30v);

ante orationem super populum: « Dicto secundo *Per dominum* et responso *Amen* dicat sacerdos *Oremus. Humiliate capita vestra deo* » (f. 32r).

Hoc missale constat ex parte antiquiore et parte recentiore, diversis manibus scripta.

Pars antiquior haec comprehendit:

ff. 20-27: *Omnes de saba venient aurum et thus... Et ne magnitudo revelationum extollat me: datus.*

Responsorium missae in Epiphania Domini usque ad epistolam dominicae in Sexagesima, versus finem.

ff. 49-121: *magno euphrate usque ad mare occidentale... Per quem maiestatem tuam laudant angeli adorant domina[tiones].*

A secunda lectione (Deut. 11, 22-25) missae sabbati Q.T. Quadragesimae usque ad praefationem communem (cantus festus).

ff. 129-254: — *dem ab ostio monumenti... sanctis tuis vitale et agricola per hec contra omnia adversa muniamur. Per.*

A medio evangelio diei Paschae usque ad postcommunionem missae de sanctis Vitale et Agricola.

Haec antiquior pars missalis aetate posterior est reliquis missalibus praehumbertianis nobis notis (A, P, R), quia in pluribus iam concordat cum H; in aliis rebus autem concordat cum A, P, R, discrepat tamen ab H.

Nonnulla tantum exempla hic afferimus, in quibus K concordat cum H, discrepat autem ab A, P, R:

1) Proprium Sanctorum (ff. 183-254) continet omnes celebrationes, quae habentur in H (Ord. nn. 725-872), nisi quod desint S. Petrus Martyr (29.IV; can. 1253), Corona Domini (4.V)² et S. Elisabeth (19.XI)³. In A, P, R plures celebrationes desunt⁴.

2) Secundum A, P, R praefatio *Qui corporali ieiunio dicitur a capite ieiunii usque ad Cenam Domini*, secundum K (ff. 81v et 119r) et H autem, dominica in Passione et deinceps usque ad Parasceven dicitur praefatio *Qui salutem humani generis*⁵.

3) In festo Ss. Fabiani et Sebastiani in A, P, R de singulis sanctis habetur oratio, in K dicitur una oratio de ambobus sanctis simul, sicut in B et M⁶.

4) In festis Conversionis S. Pauli (25.I) et Commemorationis eiusdem (30.VI) secundum K et H dicitur oratio *Deus, qui universum mundum*, secundum A, P, R, M eadem quidem dicitur oratio, sed cum lectionibus variis: *Deus, qui multitudinem gentium...*⁷.

5) Offertoria, quarum prima verba in V, A, P, R repetuntur (dom. I et II post Epiph. et feria V hebd. II Quadr.), in K, sicut in H, sine his repetitionibus apparent⁸.

6) Ordo Missae, in quantum in hac antiquiore parte missalis invenitur (sc. ab initio Missae usque ad mediam praefationem communem), fere idem est qui habetur in HMma⁹.

In formula confessionis generalis *Confiteor*, in K, post verba « *vobis fratres* », legitur « *vel tibi pater vel tibi frater* ». Pari modo super verba « *vos* », « *vestri* », « *vestra* », etc. scripta sunt verba « *vel te* », « *vel tui* », « *vel tua* », etc. omnia haec verba addita omittuntur in HMconv. et HMma., e contrario in HColl. (f. 43r) ante formulam *Confiteor* haec legitur rubrica: « *Quandocumque dicitur Confiteor in choro a praelato vel ab incipiente officium, vel extra ab illo qui incipit horas, vel a sacerdote missam celebraturo sive in conventu sive in missa privata, etiam uno solo astante, dicatur sic: Confiteor deo et beate marie et omnibus sanctis et vobis fratres...* Et ille qui primo

² Cf. AFP LIII (1983), 95, n. 32 et LIV (1984), 51.

³ Cf. *ibid.* LIII (1983), 143, n. 80 et LIV (1984), 50-51.

⁴ Cf. *ibid.* LIV (1984), 50.

⁵ Cf. *ibid.* 65, n. 3.

⁶ Cf. *ibid.* LIII (1983), 82, n. 21, b.

⁷ Cf. *ibid.* 84, n. 23, c et 106, n. 43, 6.

⁸ Cf. *ibid.* XLIX (1979), 23 et LIV (1984), 58, n. 3, a.

⁹ Cf. *ibid.* LV (1985), 7 ss.

dixit *Confiteor* subiungat, etiam si unus solus sit cui dicitur, *Misereatur vestri...* ».

Insuper, in K haec confessionis generalis formula terminatur his verbis: *Ideo precor vos orare pro me*, in H autem *Precor vos, orate pro me*.

Praefatio de Trinitate terminatur, sicut in H, his verbis: *non cessant clamare una voce dicentes*, omisso vocabulo *cotidie*¹⁰.

Et Praefatio de Beata Virgine incipit, sicut in H: *Et te in... beatuae Mariae semper virginis*.

Subiungimus textum Ordinis Missae e codice K transcriptum:

« Sacerdos quando celebraturus accesserit ad altare dicat *Confitemini domino quoniam bonus*. et responso *quoniam in seculum misericordia eius*. inclinet profunde genibus tamen non curvatis et subiungat¹².

Confiteor deo et beate marie et omnibus sanctis et vobis fratres, vel *tibi pater*. vel *tibi frater*. *quia peccavi nimis cogitatione lucutione* (sic). *opere et omissione, mea culpa, ideo precor vos orare pro me*.

Misereatur vestri omnipotens deus et dimittat vobis omnia peccata vestra. liberet vos ab omni malo. salvet et confirmet in omni opere bono: et perducatur ad vitam eternam. amen.

Absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors dominus. amen.

Confessione facta et absolutione se erigat sacerdos et dicat. *Adiutorium nostrum in nomine domini*. et appropians ad altare rursus inclinatus dicat orationem.

Aufer a nobis domine cunctas 117ra] *iniquitates nostras ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus*¹³. *per xpm dominum nostrum. amen*.

Hac oratione dicta osculetur altare et erectus muniat se signo crucis. et tunc incipiat missam.

Post offertorium accipiens calicem et tenens cum duabus manibus aliquantulum elevatum: dicat hanc orationem.

Suscipe sancta trinitas hanc oblationem quam tibi offero in memoriam passionis domini nostri ihesu xpi. et presta ut in conspectu tuo tibi placens ascendat. et meam et omnium fidelium salutem operetur eternam.

¹⁰ Cf. *ibid.* 16.

¹¹ Cf. *ibid.*

¹² Haec rubrica parum discrepat ab illa quae legitur in Mma; cf. AFP LV (1985), 7.

¹³ Deest vocabulum *introire*.

Post ablutionem iunctis manibus ante pectus ad medium altaris veniens inclinet profunde dicens orationem.

In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur domine a te. et sic fiat sacrificium nostrum ut a te suscipiatur hodie et placeat tibi domine deus.

Deinde se erigens et ad populum se vertens: dicat.

Orate fratres ut meum ac vestrum pariter in conspectu domini sit acceptum sacrificium ».

Sequuntur praefationes cum notis musicis: in nativitate domini (cum *Communicantes* proprio), in epyphania domini (cum *Communicantes* proprio), in quadragesima, infra passionem domini, in pascha (cum *Communicantes* et *Hanc igitur* proprio), in ascensione (cum *Communicantes* proprio), in pentecoste (cum *Communicantes* et *Hanc igitur* proprio), de trinitate, de beata virgine, de apostolis, cantus festivi praefationis communis.

Nonnulla, in quibus K concordat cum A, P, R, discrepat autem ab H:

1) In Introitu ante versum, loco signi Ψ (sicut in H), fere semper adhibetur abbreviatio Ps.

2) H interdum praebet Sacrae Scripturae textum emendatum (iuxta Bibliorum Sacrorum vulgatam editionem), v.g.: in lectione Isaiae (9, 2), in missa in nocte Nativitatis Domini: *Populus qui ambulabat in tenebris*, in K autem, sicut A, P, R, legitur: *Populus gentium, qui ambulabat in tenebris*¹⁴.

Epistula in festo Ss. Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis (29.VII) in H incipit: *Reddidit Deus mercedem* (Ord. n. 808), in K (f. 226), sicut in A, P, R, *Reddet Deus mercedem*¹⁵.

3) In Proprio Sanctorum, praeter celebrationes quae habentur in H, in K, sicut in ceteris mss. praehumbertianis, exstant quattuor celebrationes, quae iam non inveniuntur in H: S. Nicomedis (1.VI)¹⁶, Translationis S. Martini (4.VII)¹⁷, S. Eusebii (1.VIII), Ss. Germani et Vedasti (1.X)¹⁹.

¹⁴ Cf. AFP LII (1982), n. 8, a et LIX (1984), 65, n. 2.

¹⁵ Cf. *ibid.* LIII (1983), 63, n. 5, g.

¹⁶ Cf. *ibid.* 100, n. 36.

¹⁷ Cf. *ibid.* 107, n. 45.

¹⁸ Cf. *ibid.* 112, n. 55, c.

¹⁹ Cf. *ibid.* 132, n. 74.

4) In aliquibus missis, sicut in ceteris missalibus praehumbertianis, *Alleluia* duobus vel tribus versibus instructum apparet. In omnibus his casibus H unum tantum versum retinet²⁰.

5) In K, sicut in A, P, R, E, B, pro S. Gregorio Papa (12.III) exhibetur oratio: *Deus, qui animae famuli tui*, in H autem invenitur oratio: *Deus, qui nos beati Gregorii Confessoris tui atque Pontificis annua sollemnitate laetificas*²¹.

6) In K, sicut in A, P, R, in festo S. Gregorii (12.III) praebetur epistula *Dedit dominus confessionem sancto suo* (Eccli. 47, 9-13) in festo S. Ambrosii (4.IV) epistula *Ecce sacerdos* (Eccli. 44 et 45), in festo S. Hieronymi (30.IX) epistula *Iustum deduxit* (Sap. 10, 10-14). In his tribus casibus H (Ord. nn. 763, 766, 848) dat epistulam *Optavi* (Sap. 7, 7-14).

In R, in festis S. Gregorii et S. Hieronymi vocabulum *Optavi* scriptum est in rasura.

In nostro studio quod proxime prodibit hoc missale fusius pertractabimus, integram totius codicis descriptionem praebendo, rationemque statuendo, quantum fieri potest, quam habet ad opus ab Humberto de Romanis peractum²².

²⁰ Cf. *ibid.* XLIX (1979), 24 et LIX (1984), 58.

²¹ Cf. *ibid.* LIII (1983), 89, n. 27.

²² Studium quod hic promittitur numquam in lucem edetur, quia horum scriptor, a Deo vocatus, animam suam reddidit Creatori die 9 Martii 1987 (Ed. vol.).